



**CONCILIO||RVM QVATVOR GENE=||ralium. Niceni.
Constantinopolitani. Ephesini. et Calce=||donensis. Que
diuus Gregorius magnus tanq[uam]|| quatuor Euangelia
colit ac veneratur.||**

Merlin, Jacques

Coloniae, 1530

VD16 M 4842

Concilium Mileuitanu[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72934)

Concilium Carthaginense septimum.

Quoduult deo Verens, Cádido Abiriano, Galloniano Vticensi legatus puincia Numidia, proconsularis, Alippio Tagensi, Augustino Yppone Regieni, & Possidio Calamensis legatis Prouincia Numidia, Maximiano Aquiregni, locundo Suffitulenfi, & Hylarino Horreo celorum legatis puincia Bizancena, Nouato Sititensi, & Leone obtési legatis puincia Mauritanie Sititensis, Niuello Rufurenfi, Laurétio Icofitano, & Numeriano Nusgumési legatis puincia Mauritanie Cæsariensis, ab vniuersis Concilio iudicibus delectis antantibus diaconibus cōfessisset, & qbusdam pactis multi epi cæteroz pagendorum moras se conquirent sustinere non posse, & ad proprias Ecclesias festinarent, placuit vniuerso Concilio, vt ab omnibus eligerentur de singulis quibusq; Prouincijs, qui propter alia peragenda residerent, & factum est vt hi adessent quorum subscriptiones eos affuisse testantur.

¶ Capitulum Primum.

- C** ¶ Placuit q; quoniam superioribus Concilioz decretis de personis quæ admittendæ sunt ad accusationem clericorum iam constitutum est, & quæ personæ non admittantur iam expressum est, idcirco definimus eum rite ad accusationem non admitti, qui posteaquam excommunicatus fuerit in ipsa adhuc excōicatioe constitutus, siue sit clericus siue laicus, accusare voluerit.
- D** II ¶ Item placuit, vt omnes serui vel proprii liberti ad accusationem non admittantur, vel omnes quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt, omnes enim infamie maculis aspersi, i. histriones ac turpitudinibus subiectæ psonæ, heretici etiam, siue Pagani, siue Iudæi, sed tñ oibus qbus accusatio denegat, in causis proprijs accusandi licētia non neganda.
- E** III ¶ Itē placuit, quotienscunq; clericis ab accusatoribus multa crimina obijciunt, & vnum ex ipsis de quo prius egerit, probare non voluerit, ad cætera non admittatur.
- F** IIII ¶ Testes autem ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti pcepti sunt, vel etiam quos ipse accusator de domo sua produxerit, ad testimonium autem infra annos quatuordecim ætatis suæ non admittantur.
- G** V ¶ Itē placuit, vt si quando eps dicit aliquē sibi soli pprium crimē fuisse confessum, atq; ille neget, non putet ad iniuriam suam eps ptinere, quod illi soli non credit, & si scrupulo ppriæ conficiæ se dixit neganti nolle cōicare, q̄diu excōicato non cōmunicauerit suus eps eidem epo ab alijs non cōmunicet epi, vt magis caueat eps, ne dicat in quenquam quod alijs documētis conuincere non pōt, & subscripserunt Aurelius eps Ecclesiæ Carthaginē, Faustinus Potētinae puincia Piceni, Alippius Tagastensis legatus puincia Numidia, Augustinus Yppona Regiensis legatus Numidia, puincia, Possidius eps Calamēnsis legatus puincia Numidia, Nouatus Sititensis legatus puincia eiisdē, Leo Optensis legatus puincia Mauritanie Sititensis, Mauritanus Vzipparitanus, Rufianus Muzensis, Quoduult deus Verens, Candidus Abiritanus Germanicianoz, Gallonianus Vticensis, locundus Suffitule legatus puincia Bizancena, Hylarinus Horreo cellensis legatus puincia Bizancena, Maximianus Suffitulensis legatus puincia Bizancena, Maximianus Aquiregnis legatus puincia Bizancena, Niuellus Rufurenfis legatus puincia Cæsariensis, Laurentius Icofitanus legatus puincia Cæsariensis, Numerianus Nusgumenfis legatus puincia Cæsariensis, Philippus presbyter Ecclesiæ Romanæ, Afellus presbyter legatus Ecclesiæ Romanæ.

Incipiunt capitula concilij Mileuitani.

- | | |
|--|--|
| <p>¶ Contra Pelagianos qui dicunt etiam sine peccōo mori potuisse Adam 1</p> <p>¶ Quod iuxta Apostoli testimonium etiam paruuli qui nihil peccati adhuc commiserunt omnes in peccatorum remissione veraciter baptizentur 2</p> <p>¶ Quod gratia dei non solum peccata dimittit, sed etiam adiuuat ne committantur 3</p> <p>¶ Quod per gratiam dei sciamus quid facere debeamus & diligere vt faciamus 4</p> <p>¶ Quod gratia dei præstet vt lex impleatur, non (sicut ait Pelagius) facile quasi sine gratia dei difficilius possit impleri 5</p> <p>¶ Quod iuxta sentētiā Iohānis Euangelistæ: Nemo sit qui esse possit sine peccōo 6</p> <p>¶ Quod vnicuiq; etiam iusto non solum pro alijs, sed & p semetipso dicere oporteat di-</p> | <p>mitte nobis debita nostra 7</p> <p>¶ Quod à sanctis veraciter dicitur, dimitte nobis debita nostra 8</p> <p>¶ Quod ad communes causas Ecclesiæ generale Cōciliū congregari oporteat, in priuatis vero causis speciale vniuscuiusq; puincia, 9</p> <p>¶ Vt epistolas ad Concilium euocandum metropolitanus subscribat, & dirigat 10</p> <p>¶ Vt de hæreticis & infidelibus qcqd in Concilio constituitur à principe impleret 11</p> <p>¶ Vt preces & orationes compositæ (nisi probatæ fuerint in Concilio) non dicantur 12</p> <p>¶ Vt posteriores anterioribus episcopis non præferantur, nec inconsultis primatibus suis aliqui agere præsumat 13</p> <p>¶ Vt episcopi pro tempore consecrationis sue literas ab ordinatōribus habeant 14</p> |
|--|--|

¶ Vt vbi

- ¶ Vt vbi primum quis legerit, ibi permaneat Clericus 15
- ¶ Vt pro causis Ecclesiarum executores vel aduocati à principe postulentur 16
- ¶ Vt neque dimissus, neq; dimissa alteri coniungantur 17
- ¶ De his qui in sua prouincia non communicant vbi alibi non communicent 18
- ¶ De Clericis qui apud principem seculare iudicium aut synodale impleuerint 19
- ¶ Vt sine formatis nemo ad comitatum proficiscatur, & qualiter formati fiant 20
- ¶ De Episcopis qui quod repetere poterant, prætermisâ synodo inuaserunt 21
- ¶ De clericis qui de iudicio Episcoporum suorum conqueruntur 22
- ¶ De his qui apud hæreticos pœnitentiam acceperunt 23
- ¶ De Episcopis negligentibus aduersus hæreticos 24
- ¶ Vnde supra. 25
- ¶ De virginibus quæ infra viginti quinque annos necessitate cogente velantur 26
- ¶ De Episcopis qui post acta Carthaginensis synodi retenti sunt ad reliqua pagenda. 27

F I N I S .

Incipit concilium Mileuitanum.



Loriosissimis imperatoribus Archadio & Honorio Augustis viris clarissimis consulibus, sexto Calendas Septembris in ciuitate Mileuitana, in secretario Basilicæ cum Aurelius ep̄s Ecclesie Carthaginis in Concilio vniuersali consedisset assistantibus diaconibus, Aurelius ep̄s dixit, quoniam Ecclesie sanctæ vnum est corpus, omniumq; membrorum caput est, vnum factum est volente domino, ac nostram infirmitatem iuuante, vt ad hanc Ecclesiam conueniremus dilectionis, & fraternitatis gratia inuitati, vnde quæ so charitatem vestrâ, quia ita credendum est, quod noster accessus ad vos nec superfluous nec inuisus est cunctis, ideoq; pariter quædam de causis fidei, vnde nunc quæstio Pelagianorum imminet in hoc cœtu sanctissimo primitus tractent, deinde subsequantur, & aliqua quæ disciplinæ Ecclesiasticæ necessaria existunt.

¶ Capitulum Primum.

¶ Placuit ergo omnibus ep̄is qui fuerunt in hac sancta synodo, constituere hæc, quæ in præsen- **B**
ti Concilio definita sunt, vt quicumq; dicit Adam primū hominē mortalem factum, ita, vt siue peccaret, siue non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non p̄cti merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.

C
¶ Item placuit, vt quicumq; paruulos recētes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit quidē; In remissionē p̄ctōꝝ eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis p̄cti quod regenerationis lauacro expiet, vnde fit consequens, vt in eis forma baptismatis in remissionē p̄ctōꝝ non vera sed falsa intelligatur, anathema sit, quoniam non aliter intelligendū est qd̄ ait Apostolus per vnum hominē p̄ctm̄ intrauit in mundū, & p̄ p̄ctm̄ in nos, & ita in oēs homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt, nisi quemadmodum Ecclesia Catholica vbique diffusa semp̄ intellexit, propter hanc enim regulam fidei etiam paruuli qui nihil p̄ctōꝝ in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in p̄ctōꝝ remissione veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur quod generatione traxerunt.

D
¶ Item placuit, vt quicumq; dixerit gratiam dei, in qua iustificamur per Iesum Christum dominum nostrum ad solam remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium vt non committantur, anathema sit.

E
¶ Itē quisquis dixerit eandē gratiam dei p̄ Iesum Christum dominum nostrum p̄pter hoc tantum nos adiuuare ad non peccandum, quia p̄ ipsam nobis reuelatur, & aperitur intelligentia mandatorū vt sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem p̄ illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouerimus etiam facere diligamus, atq; valeamus, anathema sit, cum dicat Apostolus scientia inflat, charitas vero ædificat, valde impium est, vt credamus ad eam quæ inflat nos habere gratiam Christi, ad eam quæ ædificat non habere, cum sit vtrūq; donū dei, & scire, qd̄ facere debeamus, & diligere vt faciamus, vt ædificante charitate scia nō possit inflare, sicut autem de deo scriptum est, qui docet hominē sciam, ita etiam scriptum est

F
¶ Item placuit, vt quicumq; dixerit ideo nobis gratiam iustificatio (charitas ex deo est) nis dari, vt quod facere p̄ libere iubemur arbitrium, facilius possimus implere p̄ gratiam, tanq̄ & si gratia non daretur non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere diuina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum dominus loquebatur, vbi non ait, sine me difficilius potestis facere, sed ait, sine me nihil potestis facere.

G
¶ Item placuit, quod ait sanctus Iohannes Apostolus, si dixerimus, quia p̄ctm̄ non habemus nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est, quisquis sic accipiendū putauerit, vt dicat propter humanitatem non oportere dici, nos non habere p̄ctm̄, non quia veritas est, anathema sit

Concilium Mileuitanum.

ma sit, sequitur eum Apostolus, & adiungit: Si autem confessi fuerimus peccata nostra fidelis est, & iustus qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate, ubi satis apparet hoc non tantum humiliter, sed etiam veraciter dici, poterat enim Apostolus dicere: Si dixerimus, quia non habemus peccatum nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est, sed cum ait nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est, satis ostendit eum qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui sed falsum.

H VII ¶ Item placuit, ut quicumque dixerit in oratione dominica, ideo dicere sanctos, dimitte nobis debita nostra, ut non pro seipsis hoc dicant, quia non est eis iam necessaria ista petitio, sed pro alijs qui sunt in suo populo peccatores, & ideo non dicere vnumquemque sanctorum, dimitte mihi debita mea, sed dimitte nobis debita nostra, ut hoc pro alijs potius, quam pro se iustus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus enim & iustus erat Apostolus Iacobus cum dicebat, in multis enim offendimus omnes. Nam quare additum est omnes, nisi ut ista sententia conueniret, & in Psalmo ubi legitur: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et in oratione sapientissimi Salomonis, non est homo qui non peccet. Et in libro Iob: In manu omnis hominis signat, ut sciat omnis homo infirmitatem suam. Vnde etiam Daniel sanctus & iustus cum in oratione pluraliter diceret: Peccauimus, iniquitatem fecimus, & cetera, quae ibi veraciter & humiliter confitetur, ne putaretur, quemadmodum quidam sentiunt haec non de suis, sed de populi sui potius dixisse peccatis postea dixit. Cum orarem & confiterer peccata mea, & peccata populi mei domino deo nostro noluit dicere peccata nostra, sed populi sui dixit & sua, quia futuros istos qui tam male intelligunt, tanquam Propheta praevidebat.

I VIII ¶ Item placuit, ut quicumque verba ipsa dominicae orationis ubi dicimus dimitte nobis debita nostra, ita volunt a sanctis dici, ut humiliter non veraciter hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat orantem & non hominibus, sed ipsi domino mentientem qui labijs sibi dicit dimitte velle, & corde dicit, quae sibi dimittantur, debita non habere? Hucusque de fide contra Pelagianos, nunc regulae tractantur Ecclesiasticae.

K IX ¶ Placuit, ut non sit ultra fatigandis fratribus anniuersaria necessitas, sed quoties exegerit causa communis, id est, totius Africae vnde cum ad hanc sedem pro Concilio datae litterae fuerint, congregandam esse synodum in ea prouincia, ubi opportunitas persuaserit, causae autem quae communes non sunt, in suis prouincijs iudicentur.

L X ¶ Placuit etiam pati, ut omnium episcoporum epistolis omnibus de Concilio dandis sanctitas tua sola subscribat.

M XI ¶ Placuit, & illud aduersus haereticos, vel Paganos, vel eorum superstitiones, ut legati missi de hoc glorioso Concilio quicquid utile prouiderint a gloriosissimis principibus im-

N XII ¶ Placuit etiam & illud, ut preces vel orationes, seu missae quae probatae spectent, fuerint in Concilio, siue praefationes, siue commendationes, seu manus impositiones ab omnibus celebrentur, nec alia omnino dicantur in Ecclesia, nisi quae a prudentioribus tractatae vel comprobatae in synodo fuerint, ne forte aliquid contra fidem vel ignorantiam, vel per minus studium sit compositum.

O XIII ¶ Palentinus eps dixit, si permittit bonum patientiae vestrae, prosequar ea quae necessaria sunt Ecclesiasticae disciplinae. Scimus enim sic inuolatae praemissae Ecclesiasticam disciplinam, ita ut nullus fratrum prioribus suis se aliquando auderet antepone, sed officijs legitimis id semper exhibitum est prioribus, quod ab insequentibus rationabiliter semper acciperet. Hunc ordinem iubeat sanctitas vestra melius vestris interlocutionibus roborare. Aurelius eps dixit, non decuerat quidem ut haec repeteremus, nisi forte existeret inconsideratae mentes quorundam quae ad haec statuenda nostros acuerent sensus, sed & communis haec causa est quam insinuauit frater & coepiscopus noster, ut vnusquisque nostrum ordinem sibi decretum a deo cognoscat, & posterioribus deferant, nec eis inconsultis aliquid agere praesumant. Qua de re oportet eos qui putauerint spreto maioribus aliquid praesumendum competere esse ab omni Concilio coercendos, vniuersi episcopi dixerunt, hic ordo & a patribus & a maioribus est seruatus, & a nobis deo propositio seruabit, salvo etiam iure primatus Numidiae & Mauritaniae.

P XIII ¶ Deinde placuit, ut quicumque deinceps ab episcopis ordinant, litteras accipiant ab ordinantibus suis manu eorum subscriptas continentes consulem & diem, ut nulla altercatio de posterioribus vel anterioribus oriatur.

Q XV ¶ Item placuit, ut quicumque in Ecclesia vel semel legerit ab alia Ecclesia ad Clericatum non teneatur.

R XVI ¶ Placuit praeterea, ut executoribus in omnibus iustis desiderijs impartiat, placuit etiam ut petat a gloriosissimis imperatoribus, ut iubeant iudicibus dare petitos sibi defensores scholasticos

sticos qui in actu sint, vel in officio defensionum causarum Ecclesiasticarum, vt more sacerdotum puinciarum, id est, ipsi qui defensionem Ecclesiarum susceperint, habeant facultatem pro negotiis Ecclesiarum, quotiens necessitas flagitauerit, vel ad obstitendum callide decipientibus vel obrepentibus, vel ad necessaria suggerenda ingredi iudicium secretaria.

XVII ¶ Placuit vt secundum Euangelicam & Apostolicam disciplinam, neq; dimissus ab vxore neq; dimissa à marito alteri coniungatur, sed ita maneant, aut sibi met reconcilientur, quod si contempserint ad pœnitentiam redigantur, in qua causa legem imperialem petendam promulgari.

XVIII. ¶ Placuit, vt quicumque non communicans in prouincia propria in alijs prouincijs vel transmarinis partibus ad communicandum obrepserit, iacturam communionis vel Cle-

XIX ¶ Placuit, vt quicumque ad imperatorem cognitionem iudiciorum publicorum ab Episcopis petierit, honore proprio priuetur, si autem episcopale iudicium ab imperatore postulauerit, nihil ei obsit.

XX ¶ Placuit, vt quicumq; clericus propter necessitatē suā alicubi ad comitatum ire uoluerit, formatam ab ep̄o suo accipiat, quod si sine formata uoluerit pergere, à communione remoueat, quod si alicubi ei repentina necessitas orta fuerit ad comitatum pergendi, alleget apud Episcopum loci eius ipsam necessitatem, & de hoc scripta eiusdem ep̄i deferat, formatam autem quæ à primatibus, vel à quibuscunq; episcopis clericis proprijs dantur, habeant diem paschæ. Quod si adhuc eiusdem anni paschæ dies incerta est, ille præcedens adiungatur quomodo solet post consulatum in publicis gestis ascribi.

XXI ¶ Item placuit, vt quicumq; ep̄i, quascunq; Ecclesias vel plebes quas ad suam cathedram estimant pertinere, non ita repetunt vt causas suas ep̄is iudicantibus agant, sed si in alio retinente irruerint, siue uolentibus siue nolentibus plebibus causæ suæ detrimētum patiantur, & quicumq; iam hoc fecerint, si nondum est inter Ep̄os finita contētio, sed adhuc inde contendunt, ille inde discedat, quē constiterit prætermisissis iudicijs Ecclesiasticis irruisse, nec sibi quicquid blandiat, si à primatibus ut retineat literas, impetrarit, sed siue habeat literas, siue non habeat, conueniat eum qui tenet, & eius literas accipiat, vt eum appareat pacifice tenuisse Ecclesiam ad se pertinentē, si autē ille aliquam quæstionē retulerit p̄ Ep̄os iudices causa finiatur, siue eis primates dederint, siue quos ipsos uicinos ex consensu delegerint.

XXII ¶ Item placuit, vt presbyteri, diaconi, vel cæteri inferiores clerici in causas quas habuerint, si de iudicijs episcoporum suorum quæ sti fuerint, uicini episcopi eos audiant, & inter eos quicquid est, finiant adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quod si & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent, nisi ad Aphricana Concilia, vel ad primates prouinciarum suarum, ad transmarina autē qui putauerit appellandum à nullo intra Aphricam in communione suscipiatur.

XXIII ¶ Placuit vt quicumq; conuersus ab hæreticis dixerit se apud eos pœnitiam accipere, vnusquisq; Catholicus Ep̄us requirat, ubi & ob quam causam apud eosdē hæreticos pœnitiam susceperit, vt cum documētis certis hoc ip̄m approbauerit sibi, p̄ qualitate p̄cti, sicut eidē ep̄i scopo Catholico uisum fuerit tempus pœnitentiæ, vel reconciliationis decernat.

XXIII ¶ Item placuit, vt quicumq; negligunt loca ad suam cathedram pertinētia in Catholicam unitatē lucrari conueniant à diligētibus uicinis ep̄is, vt id agere non morent, quod si intra sex menses à die conuentionis non hoc fecerint, qui potuerit eas lucrari ad ipsum ptineat, ita sanè vt si ille ad quē ptinuisse uidebant, pbare potuerit magis illius electam negligentiam ab hæreticis impune ut ibi sint & suam diligētiam fuisse præuētā, vt eo modo eius cura solerrior uitate, cum hoc iudices ep̄i cognouerint, siue cathedræ loca restituant. Sanè si ep̄i scopi inter quos causa uersatur, diuersarum sunt prouinciarum, ille primas det iudices in cuius prouincia est locus de quo contendit, si autē ex communi placito uicinos iudices elegerint, aut duo eligantur aut tres, quod si tres elegerint, aut omnium sniam sequant, aut duob; iudicibus aut quos communis consensus elegerit, non liceat puocare, & quisquis pbatus fuerit pro contumacia nolle obtēperare iudicibus, cum hoc primæ sedis ep̄i scopo fuerit probatum, det literas ut nullus ei communicet episcoporum donec obtemperet.

XXV ¶ Si in matricibus cathedris episcopus negligens fuerit aduersus hæreticos, conueniatur à uicinis episcopis diligentibus, & ei sua negligentia demonstretur, vt se excusare non possit, quod si ex die quo conuenitur intra sex menses, si in eius prouincia executio fuerit, & non eos ad unitatem Catholicam conuertendos curauerit, non ei communicetur donec impleat, si autem executor ad loca non uenerit, non ascribatur ep̄i scopo, si autem probatum fuerit eum de communione illorum fuisse mentitum dicendo eos communicasse quos eo sciēte non communicasse constiterit, etiam ep̄i scopatum amittat.

¶ Item pla-

Concilium Arelatense primum.

K XXVI. Item placuit, ut quicumque episcopus necessitate periclitantis pudicitiae virginalis cum vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel si aliquo etiam mortis scrupulo periculoso compuncta fuerit, ne non velata fuerit, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet, velauerit virginem, seu velauit intra viginti quinque annos aetatis non ei obstitit Concilium, quod de isto annorum numero constitutum est.

L XXVII. Item placuit ne diutius vniuersi episcopi qui ad Concilium congregati sunt, tenerent ab vniuerso Concilio ternos iudices de singulis puincijs eligi, & electi sunt de puincia Carthaginensi Vincetius, Fortunatianus, & Clarus de puincia Numidia, Alippius Augustinus, & restitutus de puincia Bizancena, cum sancto sene Domitiano primate Cresconius iocundus, & Melianus, de Mauritania Sitifensi, Seuerianus, Asiaticus, & Donatus, de puincia Tripolitana Plaurius qui ex more legatus vnus est missus. Qui omnes cum sancto sene Aurelio vniuersa cognoscant, a quo petijt vniuersum Concilium, ut cunctis siue gestis quae confecta iam sunt, siue episcopis ipse subscribat, & subscriperunt. Aurelius episcopus Ecclesiae Carthaginensis, huic decreto consensit & pleto subscripsi Donatianus Telepsensis primae sedis subscripsi, Augustinus Ypponae Regiensis subscripsi. Similiter & omnes episcopi subscriperunt.

HVCVSQVE CONCILIA AFRICAE.

SEQVUNTUR CONCILIA LIA GALLIAE.

Incipiunt capitula concilij Arelatensis.

<p>¶ Ut vno die & tempore pascha celebretur 1</p> <p>¶ Ut vbi quisq; ordinatur, ibi permaneat 2</p> <p>¶ Ut qui in pace arma proniunt, excommunicentur 3</p> <p>¶ Ut aurigae dum agitant excommunicent 4</p> <p>¶ Ut qui in theatris conueniunt, excoicent 5</p> <p>¶ Ut in infirmitate conuersi manus impositionem accipiant 6</p> <p>¶ De praesidibus, vt cum conscientia episcopi sui communicent 7</p> <p>¶ Ut ex haeresi conuersi in Trinitate baptizentur 8</p> <p>¶ Ut qui confessores lras portant, alias accipiant 9</p> <p>¶ Ut cuius vxor adulterauit, ipse aliam non accipiat 10</p> <p>¶ Ut feminae fideles quae gentibus se iunxerunt, excommunicentur 11</p> <p>¶ Ut clerici foeneratores excommunicentur 12</p>	<p>¶ Ut proditores fratrum, vel vasorum, seu scripturarum cum verberibus deponant 13</p> <p>¶ Ut falsi accusatores fratrum vsque ad exitum excommunicentur 14</p> <p>¶ Ut leuitae non offerant 25</p> <p>¶ Ut poenitentes vbi acceperint onerationem ibi communicent 16</p> <p>¶ Ut nullus episcopus alium conculcet episcopus 17</p> <p>¶ Ut diaconus nihil sine praesente suo agat 18</p> <p>¶ Ut presbyteri sine conscientia episcoporum suorum nihil faciant, 19</p> <p>¶ Ut peregrino Episcopo locus sacrificandi detur 20</p> <p>¶ Ut sine tribus episcopis nullus episcopus ordinetur 21</p> <p>¶ Ut clericus alibi transiens excommunicet 22</p> <p>¶ Ut apostatae qui tardius reuertunt, nisi per dignam poenitentiam non recipiantur 23</p>
---	---

Incipit concilium Arelatense primum habitum

tempore Constantini Imperatoris.

M
N
O



OMINO & sanctissimo Syluestro episcopo coetus episcoporum qui adunati fuerunt in oppido Arelatensi, Quae decreuimus communi Concilio charitatiue significamus, vt omnes sciant quid in futurum obseruare debeant.

¶ Capitulum Primum.

¶ De obseruatione paschae domini, vt vno die & tempore per omnem orbem obseruetur, & iuxta consuetudinem literas ad omnes tu dirigas.

¶ Capitulum secundum.

¶ De his qui in quibuscunque locis ordinati fuerint ministri, in ipsis locis perseverent.

- P III** ¶ De his qui arma proniunt in pace, placuit, abstinere eos a communione.
- Q IIII** ¶ De agitatoribus qui fideles sunt, placuit eos quamdiu agitant a communione separari.
- R V** ¶ De theatricis, & ipsos placuit (quamdiu agunt) a communione separari.
- S VI** ¶ De his qui infirmitate credere volunt, placuit debere his manum imponi.

¶ De praes